Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26206
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et beneplacito. Hoc enim forte accepit ~~augustinus dicens~~. ideo scit quae novit. id est
quae scienti placuit. et quae sciens disposuit. Et hic sensus ex eo ad
iuvatur quia de bonis ibi tantum agit vel agitur augustinus. scilicet de creaturis. de his quae
deus facit. qui omnia novit non solum scientia. sed etiam beneplacito ac dispositione.
Sic ergo ibi accipitur dei cognitio. ut non modo notitia. sed etiam beneplacitum
dei signetur. Mala vero scit deus et praescit antequam fiant. sed sola notitia non
beneplacito. Praescit enim deus et praedicit etiam quae non est ipse facturus: sicut prae
scivit et praedixit infidelitatem iudaeorum. sed non fecit. nec ideo quia praescivit
ad peccatum infidelitatis eos coegit. nec praescisset vel scisset eorum
mala. nisi essent ea habituri. ~~Unde augustinus super iohannem~~. Dominus inquit futurorum prae
scius per prophetam praedixit infidelitatem iudaeorum. sed non fecit. neque praescisset
mala eorum nisi ea haberent. Non enim ideo quemquam ad peccandum cogit quia
futura hominum novit peccata. Illorum enim praescivit peccata non sua. ideoque
si ea quae ille praescivit ipsorum non sunt ipsorum. non vera ille praescivit. Sed quia illius
praescientia falli non potest. sine dubio non alius sed ipsi peccant. quos deus peccatores
esse praescivit. Et ideo si non malum sed bonum facere voluissent. non malum fac
turi praevidentur. ab eo qui novit quid sit quisque facturus. His verbis aperte
ostenditur si diligenter intendamus. praescientiam dei non esse causam malorum quae prae
scit. quia non ea praescit tamquam facturus. nec tamquam sua. sed illorum qui sunt ea fac
turi vel habituri. Praescivit ergo illa sola notitia. non beneplacito auc
toritatis. Unde datur intelligi. quod deus e converso praescit bona tamquam sua.
tamquam quae facturus est. ut in illa praesciendo. simul fiunt ipsius notitia
et auctoritatis beneplacitum. Contra hoc quod dictum est praescientiam dei non posse
Ad hoc autem quod supra dictum est praescientiam dei falli. opponitur:
falli non posse. solet a quibusdam sic opponi. Deus praescivit hunc lecturum
vel aliquid huiusmodi. sed potest esse ut iste non legat. Ergo potest aliter esse quam deus
praescivit. ergo potest falli dei praescientia. quod omnino falsum est. Licet eidem non fie
ri aliquid. et illud tamen quod praescitum est fieri. non ideo tamen potest falli dei praescientia.
quia si illud non fieret. nec a deo praescitum esset fieri. sed adhuc urguent